



Magnum Bullarium Romanum, Seu Ejusdem Continuatio

Quæ Supplementi loco sit, tum huicce, tum aliis quæ præcesserunt
Editionibus, Romanæ, & Lugdunensi ...

Constitutiones Variorum Pontificum in præcedentibus Editionibus
desideratas, summoque studio hinc inde conquisitas complectens

Luxemburgi, 1741

4. Ea quæ, &c. Bulla ad Viennensem, Lugdunensem, Gebennensem
Officiales, pro Syndicis Civitatis Gebennensis, de Administratione
Pauperum, & Hospitalium Leprâ infectorum, quorum redditus pro utilitate

...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74514](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74514)

siasticis Sententiis, Censuris & pœnis à jure vel ab homine quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodati existunt, ad effectum præsentium duntaxat consequendum, harum serie absolventes & absolutos fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, Statutum, Decretum, Declarationem, Mandatum, Approbationem & Confirmationem prædicta, nec non prout illa concernunt omnia & singula in litteris prædictis contenta, Auctoritate Apostolica tenore præsentium approbamus & confirmamus, suppletentes omnes & singulos defectus, si qui forsitan intervenerint in eisdem. Et nihilominus pro potiori cautela præmissa omnia de novo dicta Auctoritate Apostolica statuimus, decernimus & observari mandamus, non obstantibus Constitutionibus & Ordinationibus Apostolicis, ac Ecclesiæ & Civitatis prædictarum juramento vel quavis firmitate alia roboratis, Statutis & Consuetudinibus, cæterisque contrariis quibuscunque. Nulli ergo omnino hominum liceat, hanc paginam Nostræ Absolutionis, Approbationis, Confirmationis, Suppletionis, Statuti, Decreti & Mandati infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare præsumperit, indignationem Omnipotentis Dei ac Beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursum. Datum Romæ apud Sanctum Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ millesimo quingentesimo quinto, pridie Kalendas Martii, Pontificatus Nostri Anno Tertio. Quocirca Discretionem vestram per Apostolica Scripta mandamus; quatenus vos vel duo aut unus vestrum per vos vel alium seu alios litteras prædictas & in illis contenta quæcumque, ubi & quando expediens fuerit, & quoties super hoc pro parte Communitatis, seu Syndicorum prædictorum, aut alicujus eorum requisiti fueritis, solemniter publicantes eisque in præmissis efficacis defensionis assistentes, faciatis eos auctoritate vestra pacifica possessione, vel quasi Statuti, Decreti, Declarationis, Mandati, Approbationis & Confirmationis prædictorum & aliorum præmissorum, juxta tenorem dictarum litterarum gaudere, non permittentes eos desuper per quosvis contra Statutorum, Decretorum, Declarationum, Mandatorum, Approbationum, & Confirmationum hujusmodi tenorem quomodolibet indebitè molestari, contraditores quoslibet & rebelles per Censuram Ecclesiasticam appellatione postposita compescendo. Non obstantibus felicis recordationis Bonifacii Papæ Octavi Prædecessoris Nostri, qua cavetur ne aliquis extra suam Civitatem & Diocesim, nisi in certis exceptis casibus, & in illis ultra dietam à fine suæ Diocesis ad judicium evocetur, seu ne Judices à Sede Apostolica Deputati, extra Civitatem & Diocesim in quibus deputati fuerint contra quoscumque procedere, aut alii vel alii vices suas committere præsumant, & de duabus dietis in Concilio Generali edita, & aliis Apostolicis Constitutionibus, necnon omnibus illis, quæ in dictis litteris volumus non obstare contrariis quibuscunque, seu si aliquibus communiter vel divisim ab eadem Sede sit indultum, quod interdicti, suspendi vel excommunicari, aut extra vel ultra certa loca ad judicium evocari non possint, per Litteras Apostolicas non facientes, plenam & expressam ac de verbo ad verbum de indulto hujusmodi mentionem. Datum Romæ apud Sanctum Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ millesimo quingentesimo quinto, pridie Kalendas Martii, Pontificatus Nostri Anno tertio.

D. de Comitibus.

IV.
Ex Arch.
Reipubl.
Genev.

Bulla ad Viennensem, Lugdunensem, Gebennensem Officiales, pro Syndicis Civitatis Gebennensis, de Administratione Pauperum, & Hospitalium Leprosorum, quorum reditus pro utilitate leproforum collocandi, quorumque Cura Rectoribus, & Pii Ecclesiasticis habenda traditur: Modus autem de conservandis & explicandis ipso-

rum reditibus in futurum servandus statuitur: anno 1506.

INNOCENTIUS EPISCOPUS.

Servus Servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

EA quæ pro Pauperum quorumlibet præsertim Dei judicio morbo lepræ infectorum, pia necessariaque subventionem, & ne alii ex eorum conversatione morbida contagione inficiantur, providè pieque facta dicuntur, cum à nobis petitur, libenter Apostolico munimine roboramus, ac etiam in iis Nostri Pastoralis Officii partes favorabiliter impartimur, prout in Domino conspicimus salubriter expedire. Sanè pro parte dilectorum filiorum modernorum Syndicorum & Communitatis Civitatis Gebennensis Nobis nuper exhibita petitio continebat, quod exposito alias pro parte tunc Syndicorum dictæ Civitatis quondam Amadeo Felici Sexto, in sua obedientia, de qua partes illæ tunc erant, nuncupato, quod cura & administratio pauperum & infirmorum in Hospitalibus prædictæ Civitatis, ac vicinis leproforiarum degentium, per nonnullos ipsorum Hospitalium & Leprosariorum Rectores plus solito negligebantur, ipsisque pauperibus & leprosis victus, & alia necessaria subtraherentur, in Rectorum animarum dispendium, & pauperum, infirmorum & leproforum prædictorum præjudicium non modicum, & gravamen, dictus Felix eorundem Syndicorum in ea parte supplicationibus inclinatus, bonæ memoriæ Bartholomeo tituli Sancti Marci Presbytero Cardinali, tunc Episcopo Cornetanensi, in dicta Civitate Gebennensi, seu curia obedientiæ ipsius Felicis residenti, tam per suas litteras, quam alias speciales commissiones etiam ad supplicationem prædictorum Syndicorum eidem Bartholomæo Episcopo factas commisit & mandavit, ut vocatis Syndicis & Rectoribus Leprosariorum hujusmodi & aliis, qui forent evocandi, ad Hospitalia & Leprosarias prædictas personaliter accedens, in eisque debitæ visitationis officium exercens Hospitalibus & Leprosariis prædictis personisque in eis degentibus, opportuna reformationis officium propensum impenderet, ac omnia & singula instrumenta & litteras foundationum, donationum, legationum, Elemosinarum, quæstorum & aliorum quorumcumque jurium, ad Hospitalia & Leprosaria, hujusmodi pauperesque in eis degentes pertinentium, visiteret & examinaret, de ritibus & consuetudinibus laudabilibus Hospitalium & Leprosariorum eorundem se diligenter informaret, ac illa ex eis, quæ sibi pro felici eorundem Hospitalium & Leprosariorum statu & regimine, & rationalia viderentur observari mandaret, quæ verò dubia, obscura, aut minus utilia forent interpretaretur, declararet, irritaret, corrigeret, & in melius reformaret, nec non de statu Hospitalium & Leprosariorum, hujusmodi fructibus, redditibus & proventibus, nec non vitâ, regimine & administratione omnium & singulorum Rectorum eorundem ipsorum, qui in eodem regimine & defectibus inquireret, ac eosdem Rectores juxta excessuum & defectum exigentiam & qualitatem, per sanctiones canonicas, prout eorum animarum saluti, ac Hospitalium & Leprosariorum statui, pauperumque leproforum prædictorum necessitati ac calamitati prospiceret expedire, corrigeret, ac debitis pœnis & Censuris Ecclesiasticis compelleret, Hospitaliaque & Leprosarias hujusmodi ad formam Constitutionis, per felicis recordationis Clementem Papam V. Prædecessorem Nostrium, super hoc in Concilio Viennensi editæ reduceret, ac omnia & singula statueret & ordinaret, quæ in præmissis & circa ea necessaria, & quomodolibet opportuna, & præsertim pro Rectorum animarum salute, pauperumque & infirmorum ac leproforum conservandis viribus videret expedire, & quæ in præmissis & circa ea statueret, ordinaretque vel

alias disponeret, seu faceret, firmiter observari faceret, super quibus omnibus sibi facultatem concessit, quarum litterarum & commissionum vigore dictus Bartholomæus Cardinalis tunc Episcopus habita, super præmissis diligenti informatione ac inquisitione inter cætera ad acceptandum omnem controverſiam, quæ fuerat, aut esse possit inter Rectores & Leprosos Leprosariorum Maledariorum nuncupatarum de Canegio & Quercu infra limites Parrochialium Ecclesiarum Sancti Leodegarii, extra & propè muros ejusdem Civitatis Gebennensis, Sancti Petri de Thonay Gebennensis Diocesis, ac pro felici salubri quieto & honesto successu seu statu Rectorum tam Parrochialium Ecclesiarum, quam Leprosariorum Maledariorum nuncupatarum & Hospitalium prædictorum juribus conservandis, nonnulla Statuta laudabilia & honesta, etiam animarum salutem & modum vivendi ipsorum leproſorum, & qualiter de lepra infecti, etiam si Clerici vel Presbyteri & Beneficiati essent in dictis Leprosariis recipi, & ut ad illos, ne cum aliis conversando alii ex eorum conversatione inficerentur, accedere tenerentur, & cogi possent, & si Beneficiati forent eis Coadjutores juxta dispositionem juris dari deberent, & qualiter ipsi leproſi in dictis Leprosariis recipi & admitti, & postquam ac antequam admitterentur, qualiter de eorum bonis, tam ante receptionem, quam post disponere possent, qualiterque vivere, eisque Ecclesiastica Sacramenta per Rectores dictarum Leprosariorum seu Maledariorum pro tempore deputatos ministrari ac corrigi, castigari & puniri, & si aliquis ex dictis leproſis Sacerdos fuerit, & in Capella dictorum leproſorum celebrare voluerit, ad celebrandum admitti, Calixque & Paramenta separata ei deputari deberent, qualiterque tam dicti leproſi, quam Quietonus Nuncupatus & Procurator ac Camerarius, seu alii eorum Officiales, pro negotiis dictarum Leprosariorum tractandis, inſimul capitulariter convenire, ac elemosinariè pro eisdem leproſis peti & colligi, tam in dictis Leprosariis, quam extra, etiam per Civitatem Gebennensem, & per quas personas, qualiterque ipsa elemosinæ & alii redditus & proventus inter Officiales & leproſos, & alios Ministratores distribuiri & dividi, quantumque unicuique eorum, ac etiam pro fabrica dictarum Leprosariorum assignari deberent, & alias laudabilem & honestam gubernationem Leprosariorum & leproſorum prædictorum concernentia, ad supplicationem Syndicorum dictæ Civitatis fecit & edidit, ac juramenta per Rectores Ecclesiarum, & aliquos ex dictis Officialibus præstanda ordinavit, præmissaque omnia etiam sub certis penis pecuniariis levibus tamen, in utilitatem Leprosariorum & fabricam aliorum leproſorum prædictorum respectivè convertendis seu distribuendis, & Censuris Ecclesiasticis per omnes & singulos, quos præmissa concernerent, observari præcepit, ac quascumque alias Ordinationes, Statuta & Consuetudines, sive pacta eatenus quacumque autoritate factas, conditas & observatas revocavit, cassavit & annullavit, ac viribus omninò evacuavit, ac præmissa omnia postmodum per Advocatum, Procuratorem & Camerarium pauperum leproſorum, ac tunc Rectores dictarum Parrochialium Ecclesiarum, pro se, suisque successoribus ratificata & approbata fuerint, prout in quibusdam Instrumentis publicis desuper confectis dicitur plenius contineri. Quare pro parte moderni Syndici, ac Communitatis, ac universorum leproſorum earundem Leprosariorum prædictorum assentientium, præmissa cum magna deliberatione & examinatione super præmissis habita facta, & quantum possibile fuit, hætenus observata fuisse, nobis humiliter fuit supplicatum, ut præmissis omnibus & singulis per dictum Bartholomæum Cardinalem tunc Episcopum, Statutis, Ordinatis, Mandatis & Præceptis ac Revocatis & Annullatis pro illorum subsistentia firmiori, robur Apostolicæ Confirmationis adjicere, ac alias in præmissis opportune providere de Be-

nignitate Apostolica dignaremur. Nos igitur, qui singulorum pauperum, præsertim leproſorum, quo graviore paupertatis & infirmitatis genere laborare noscuntur, piæ subventioni & quantum possibile est, eorum dolori alleviationis remedium adhiberi sinceris desideramus affectibus, moderatum Syndicos & Communitatem, ac leproſos præfatos ipsorumque singulos, ac dictæ Communitatis singulares personas à quibusvis excommunicationis, suspensionis & interdicti aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris & penis à jure vel ab homine quavis conditione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodati existunt, ad effectum duntaxat præsentium consequendum, harum serie absolutentes & absolutos fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, præmissa omnia & singula per dictum Bartholomæum Cardinalem tunc Episcopum, Statuta, Ordinata, Mandata, Præcepta, Revocata vel Annullata, ac prout illa concernunt omnia & singula in dictis Instrumentis contenta, cum modis, formis & penis, ac aliis in eis contentis, præmissa tamen concernentibus, cum Autoritate Apostolica tenore præsentium approbamus & confirmamus, & juxta illorum tenorem perpetuis futuris temporibus observari debere decernimus & mandamus, suppletentes omnes & singulos defectus, si qui forsan intervenerunt in eisdem, & nihilominus pro potiori cautela præmissa omnia modis & formis ac ordi-
ne penis & censuris in eis contentis de novo perpetuò statuimus ac ordinamus, non obstantibus Apostolicis ac in Provincialibus, & Synodalibus Conciliis editis generalibus vel specialibus Constitutionibus & Ordinationibus, cæterisque contrariis quibuscumque. Nulli ergo omninò hominum liceat, hanc paginam Nostræ Absolutionis, Approbationis, Confirmationis, Decreti, Mandati, Suppletionis, Statuti & Ordinationis infringere, vel ei ausu temerario contraire, si quis autem hoc attemptare præsumpserit, Indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri & Pauli Apostolorum se noverit incurſurum. Datum Romæ apud Sanctum Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ millesimo quingentesimo sexto, Pridie Kal. Aprilis, Pontificatus Nostri anno tertio. Quocirca Discretioni vestræ per Apostolica Scripta mandamus, quatenus vos vel duo aut unus vestrum, per vos vel alium seu alios, litteras prædictas & in illis contenta quacumque, ubi & quando ac quoties opus fuerit, ac pro parte modernorum & pro tempore existentium Syndicorum dictæ Civitatis Gebennensis, nec non Communitatis & leproſorum prædictorum seu alicujus eorum, desuper requisiti fueritis, solemniter publicantes, eisdem Syndicis, Communitati & leproſis, & aliis, quos ipse litterarum & in illis contenta concernent, in præmissis efficacis defensionis præsidio assistentes, faciatis auctoritate vestra Statuta, Ordinata, Mandata & Præcepta ac Revocata & Annullata prædicta juxta illorum & Litterarum nostrarum prædictarum tenorem firmiter observari, ac eos pacifica possessione vel quasi, Approbationis, Confirmationis, Suppletionis, Decreti, Mandati, Statuti & Ordinationis prædictorum & aliorum præmissorum gaudere, non permittentes eos desuper contra eorum Statutorum Ordinationum ac litterarum prædictarum tenorem quomodolibet indebitè molestari, contraditores quoslibet & rebelles per Censuram Ecclesiasticam appellatione postposita compescendo; non obstantibus felicis recordationis Bonifacii Papæ VIII. Prædecessoris Nostri, qua cavetur, ne aliquis extra suam Civitatem vel Diocæsin nisi in certis exceptis casibus, & in illis ultra unam dietam à fine suæ Diocesis ad judicium evocetur, seu ne Judices à Sede Apostolica Deputati extra Civitatem vel Diocæsin, in quibus deputati fuerint, contra quoscumque procedere, aut alii vel alii vires suas committere præsumant, & de duabus dietis in Concilio Generali edita, & aliis Apostolicis Constitutionibus, nec non omnibus illis, quæ in

dictis

distis litteris nolumus non obstare, contrariis quibuscunque, seu si aliquibus, communiter vel divisim, ab eadem sit Sede indultum, quod interdicti, suspendi vel excommunicari, aut extra vel ultra certa loca ad iudicium trahi non possint, per litteras Apostolicas non facientes plenam & expressam, ac de verbo ad verbum indulti hujusmodi mentionem.

Datum Romæ, apud Sanctum Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ, Millesimo Quingentesimo sexto, Pridie Cal. Aprilis, Pontificatus nostri, anno tertio.

D. de Comitibus.

Bulla ad Populum Gebennensem, pro receptione CAROLI ad Episcopatum, anno 1509.

JULIUS EPISCOPUS.

Servus Servorum Dei, Dilectis Filiis Populo Civitatis & Diocesis Gebennensis, Salutem & Apostolicam Benedictionem.

Hodie Ecclesiæ Gebennensis, tunc certo modo, quem haberi volumus pro expresse, pastoris solatio destitutæ de persona dilecti Filii Caroli Electi Gebennensis, nobis & fratribus nostris, ob suorum exigentiam meritorum accepta, de fratrum eorumdem Consilio Apostolica auctoritate providimus, ipsumque illi præfecimus in Episcopum & Pastorem, curam & administrationem ipsius Ecclesiæ sibi in spiritualibus & temporalibus plenarie committendo, prout in nostris inde confectis litteris plenius continetur. Quocirca Universitatem vestram rogamus, monemus & hortamur attente, vobis per Apostolica scripta mandantes, quatenus eundem Carolum Electum, tanquam Patrem & Pastorem animarum vestrarum devote suscipientes, & debita honorificentia prosequentes, ejus monitis & mandatis salubribus humiliter intendatis, ita quod ipse Carolus Electus in vobis devotionis Filios, & vos in eo per consequens Patrem benevolum invenisse gaudeatis.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ, Millesimo Quingentesimo nono, Nonis Novembris, Pontificatus nostri anno sexto.

Ge. de Prato.

Bulla Censurarum in singulos de Consilio, & Interdicti generalis in Ducatum Mediolanensem ob occupationem Ecclesiarum, & aliorum Beneficiorum Ecclesiasticorum. & fructuum eorumdem sequestrationem seu distributionem in laicali abusu è potentia factas, anno 1510.

JULIUS EPISCOPUS.

Servus Servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

Inter graves sollicitudines & curas, quibus pro pastoralis Officii & Apostolicæ servitutis debito continuo premimur, una est, ut defensionem & custodiæ Ecclesiarum, beneficiorum & bonorum, ac fructuum, & reddituum eorumdem continuo vigilemus, ac ne perverforum temerariis ausibus à Laicis, quos Clericis infestis oppido tradit antiquitas, fructus, & proventus prædicti, qui inter cætera pro servitio Ecclesiarum, & pro sustentatione Ecclesiastici status, & dignitatis, & Ministrorum ejus provide à SS. Patribus statuti & ordinati sunt, occupentur, & dissipentur, omnibus remediis, & juris auxilio opportune prohibere, quod tanto periculosius negligitur, quanto exinde turbatio, & confusio Ecclesiastici Status & Ordinis de facili caufaretur, & auctoritas minueretur, cum Spiritualia sine tempo-

ralibus diu esse non possent; Ordo etiam rationis exposcit, ut justitiam cuilibet præsertim Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus, qui in partem sollicitudinis nobiscum assumpti sunt, & aliis Ecclesiasticis Prælati, & Personis ministris, & opem, ac operam efficaces exhibeamus, ut Metropolitanarum, & Cathedralium Ecclesiarum, & Monasteriorum, ac dignitatum, & aliorum beneficiorum Ecclesiasticorum auctoritate Apostolica vel alias in titulum vel commendam commissorum possessionibus, & illorum fructuum, & proventuum perceptione, sublatis quibuscunque obstaculis & impedimentis, quietè & pacificè gaudeant, & ne illis priventur, omnibus juris remediis, ubi etiam perverforum audacia exiger, vibrato Apostolicæ potestatis mucrone per censuras Ecclesiasticas providere. Sane sicut non sine gravi animi nostri displicentia accepimus, dilecti Filii Carolus de Ambrosia Dominus temporalis de Ciamonte, seu de Calidomonte, ac pro charissimo filio nostro Ludovico Francorum Rege in Ducatu Mediolanensi Gubernator Magnus Magister, nec non ipsius Regis in Parlamento, seu Consilio Mediolanensi Consilarii nuncupati, nescitur quo nisi maligno ducti Spiritu, & non considerantes, quod Laicis super ipsos Cardinales, ac Pontificali dignitate præditos, ac alias Personas Ecclesiasticas, eorumque Ecclesias, Monasteria, ac beneficia Ecclesiastica illis commissa, illorumque redditus & proventus hujusmodi, nulla est attributa jurisdictio sive potestas, fructus, redditus & proventus nonnullorum, Ecclesiarum Cathedralium, etiam Metropolitanarum Ecclesiarum, ac Monasteriorum, Prioratum, Præpositurarum, aliorumque Beneficiorum Ecclesiasticorum hujusmodi, quæ ipsi Cardinales, ac Prælati, & Personæ Ecclesiasticæ in titulum, commendam, vel administrationem aut alias etiam ex concessionibus, & dispensationibus Apostolicis in Ducatu & Dominio Mediolanensi obtinent, eorum auctoritate, immò verius temeritate propria, & de facto in manibus Laicorum sequestrare, & partem illorum in proprios usus convertere, & dissipare præsumpserunt, & in Animarum suarum periculum, divinæ Majestatis offensam, Apostolicæ Sedis Auctoritatis contemptum, Ecclesiarum damnum, ipsorumque Cardinalium, Prælatorum, & Personarum Ecclesiasticarum grave præjudicium & jacturam, perniciosum quoque exemplum, ac scandalum plurimorum. Nos igitur, ad quos supra alios pertinet Ecclesiarum jura defendere, & tueri, ac similes excessus etiam per eosdem in eisdem Ecclesiis, Monasteriis, & beneficiis Ecclesiasticis alias impunè commissos, & perpetratos, ac dictorum præsumptorum, & temerarium ausus corrigere, ac Cardinalium, Prælatorum, & Personarum Ecclesiasticarum, jura & libertates defendere volentes, dictos Præsumptores, nisi ad Cor reversi resipuerint, tali plectere penam, ut in posterum à similibus abstineant, sintque aliis in exemplum, & tandem metus penæ sit meta malorum, dictorum Cardinalium, & Prælatorum, & aliarum Ecclesiasticarum Personarum querelis & lamentationibus permoti, nomina, cognomina, titulos Cardinalium, qualitates, nobilitates, & præeminencias præsentibus pro expressis habentes, æquitate & justitia id nobis suadentibus, ex nostra certa scientia, & matura deliberatione præhabita, præfatos Carolum Gubernatorem, & Magnum Magistrum, ac omnes & singulos Dominos de Parlamento, seu Consilio Mediolanensi nuncupatos, cujuscunque dignitatis, nobilitatis, & præeminentiæ & conditionis existant, nec non dictorum Fructuum Sequestratores & Custodes, Distributores, sive Dispensatores, ac eis auxilium, consilium, vel favorem directè, vel indirectè, quovis quæsito colore præstantes, in virtute suæ obedientiæ, ac sub penis infra scriptis, quas contrafacientes ipso facto incurere volumus, auctoritate Apostolica tenore præsentium monemus, quatenus

V.
Ex Arch.
Reipub.
Genev.

VI.
Ex Miscell.
Bibliot.
Calanat.
Tom. 141.
in 4to.